

## EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD PHILEMONEM

Paulus vinctus Christi Jesu, et Timotheus frater, Philemoni dilecto, et adjutori nostro, <sup>2</sup> et Appiæ sorori carissimæ, et Archippo commilitoni nostro, et ecclesiæ, quæ in domo tua est. <sup>3</sup> Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.

<sup>4</sup> Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis, <sup>5</sup> audiens caritatem tuam, et fidem, quam habes in Domino Jesu, et in omnes sanctos : <sup>6</sup> ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis operis boni, quod est in vobis in Christo Jesu. <sup>7</sup> Gaudium enim magnum habui, et consolationem in caritate tua : quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater.

<sup>8</sup> Propter quod multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinet : <sup>9</sup> propter caritatem magis obsecro, cum sis talis, ut Paulus senex, nunc autem et vinctus Jesu Christi : <sup>10</sup> obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo, <sup>11</sup> qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem et mihi et tibi utilis, <sup>12</sup> quem remisi tibi. Tu autem illum, ut mea viscera, suscipe : <sup>13</sup> quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii : <sup>14</sup> sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. <sup>15</sup> Forsitan enim ideo discessit ad horam a te, ut æternum illum reciperes : <sup>16</sup> jam non ut servum, sed pro servo carissimum fratrem, maxime mihi : quanto autem magis tibi et in carne, et in Domino ? <sup>17</sup> Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me : <sup>18</sup> si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa. <sup>19</sup> Ego Paulus scripsi mea manu : ego reddam, ut non dicam tibi, quod et teipsum mihi debes : <sup>20</sup> ita, frater. Ego te fruar in Domino : refice viscera mea in Domino. <sup>21</sup> Confidens in obedientia tua scripsi tibi : sciens quoniam et super id, quod dico, facies.

<sup>22</sup> Simul autem et para mihi hospitium : nam spero per orationes vestras donari me vobis. <sup>23</sup> Salutatur te Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu, <sup>24</sup> Marcus, Aristarchus, Demas, et Lucas, adjutores mei. <sup>25</sup> Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen.